[illegible]

Ankündigung

der

öffentlichen Frühlingsprüfung

im

Herzoglich Nassauischen Gymnasium

zu

Weilburg


am 26. und 27. März 1861

von

Dr. Heinrich Ludwig Schmitt,
Director des Gymnasiums.

Inhalt:

Weilburg.
Gedruckt bei L. E. Lanz.


BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

Animadversiones in Hymnos Homericos.

Perlegenti mihi et diligentius perscrutanti diversis temporibus modo hanc modo illam ob causam hymnos, quos dicimus Homericos, non raro accidit, ut, cum incidissem in locos depravatos, quos non paucos esse constat in his carminibus, inhaerescerem quasi neque prius laborare et experiri desinerem, quam verborum sensum mihi restituisse viderer. Ex iis, quae sic non infeliciter reperisse me arbitror, nonnulla viris doctis in hoc libello proponere constitui, sperans fore, ut, si non omnia, haec illa tamen iis probarentur, atque elegi hymnum in Mercurium, quem prae ceteris singulorum verborum et versuum depravationibus scatere notum est. Adiungo quasdam de hymno in Cererem disquisitiones, qui etsi minus singulis locis inscitia librariorum et temporum iniquitate corruptus est, multis tamen et magnis cum interpolationibus inquinatum esse iam alii ante me viderunt.

I. Hymnus in Mercurium.

V. 34 — 38.

ἀλλ' οἴσω σ' εἰς δῶμα λαβών· ὄφελός τί μοι ἔσσῃ,
οὐδ' ἀποτιμήσω· σὺ δέ με πρώτιστον ὀνήσεις.
οἴκοι βέλτερον εἶναι, ἐπεὶ βλαβερὸν τὸ θύρηφιν·
ἦ γὰρ ἐπηλυσίης πολυπήμονος ἔσσεαι αἰχμή
ζώουσ'· ἢν δὲ θάνῃς, τότε κεν μάλα καλὸν ἀείδοις.

Versum 36., quod ex Hesiodi Opp. 365. sumptus esset, multi VV. DD., Groddeckius Hermannus Bothius alii, interpolatoris sedulitati deberi existimarunt. Sed quum haec verba sint locus communis, quem dicunt, non est, quod hoc loco ea expellamus, si modo cum ceteris bene cohaereant. Neque proverbialem hanc locutionem orationi Mercurii, iocosam quandam hilaritatem redolenti, non inepte insertam esse negabis, si verborum ambiguitatem reputaveris, quam Frankius ad h. l. bene exposuit. Multo magis est, quod versum antecedentem (35.) cum Groddeckio in suspicionem vocemus, inania verba et inutilia, quibus ante dicta minus apte repetuntur et orationis progressus impeditur. Consutus videtur versus ex vv. 30. et 34. Praeterea verbum ἀποτιμᾶν offensioni est; neque enim idem significat, quod ἀτιμᾶν et ἀτιμάζειν, neque epicis poetis usitatum est. Eiecto autem hoc versu versus 36. quam commode versum 34. excipiat, apertum est, quum ea, quibus explicantur verba ὄφελος ἔσσῃ, proxime accedant et οἴκοι βέλτερον εἶναι arctius sese applicet ad verba οἴσω σ' εἰς δῶμα λαβών. Versus ab eodem grammatico profectus esse videtur, qui fecit vv. 25 et 111., quam ad opinionem primum me perduxerunt voculae πρώτιστον, πρώτιστα, quae in tribus his versibus leguntur.

In versu 37. Ruhnkenius, quem praeter Ilgenium omnes fere editores secutos esse video, pro codicum αἰχμά vel αἶχμα scripsit ἔχμα; restituit secundum H. in Cerer. 230. οἶδα δ' ἐπηλυσίης πολυπήμονος ἐσθλὸν ἐρυσμόν, versum huic et verbis et sententia similem, ἔχμα autem idem esse, quod ἐρυσμόν, docuit versu Apoll. Rhod. 4, 201., ubi scuta dicuntur δηΐων θοὸν ἔχμα βολάων. Sed apud Homerum et vetustiores epicos poetas eodem sensu et singulari numero haec vocula ἔχμα non reperitur. Quare quum dictio huius hymni

propius ad Homerum et vetustiores epicos poetas accedat quam ad poetas Alexandrinos, si vocula arcendi notionem continens inveniatur Homero et Hesiodo usitata, cuius litterae in vocem *AIXMA* vel *AIXMH* facile poterant transformari, hoc loco eam praetulerim. Eiusmodi voces sunt *AAKAP* et *AAKH*, quarum prior facile cum *αἶχμα* confundi potuit; *ἀλκή* autem hoc loco praeplacet, si, id quod nescio, hic ille codex praebeat *αἰχμή*. Itaque nobis scribendum videtur:

ἡ γὰρ ἐπηλυσίης πολυπήμονος ἔσσεαι ἄλκαρ.

vel *ἀλκή*

Conf. Il. 5, 644. 11, 823. H. in Ap. Pyth. 14 sq. *οὐδὲ δύνανται εὑρέμεναι θανάτοιο τ' ἄκος καὶ γήραος ἄλκαρ.* Ad confirmandam vocem *ἀλκή* possunt afferri: Od. 12, 120. 22, 305. Il. 21, 528. Hesiod. Theog. 876. *κακοῦ δ' οὐ γίγνεται ἀλκή.* Hesiod. Opp. 201. *κακοῦ δ' οὐκ ἔσσεται ἀλκή.*

V. 41 sq. *ἔνθ' ἀναπηλήσας γλυφάνῳ πολιοῖο σιδήρου*
αἰῶν' ἐξετόρησεν ὀρεσκῴοιο χελώνης.

Hanc codd. scripturam defendit Matthiaeus; *ἀναπηλεῖν* enim, factum ab *ἀναπάλλειν* quemadmodum *ἀναθηλεῖν* ab *ἀναθάλλειν*, significare in dorsum coniicere. Sed *ἀναπηλέω* est forma prorsus inusitata neque potest significare in dorsum coniicere, neque, si significaret, docente Hermanno apte hoc loco diceretur: quum in dorsum testudinem coniecisset. Ilgenii interpretatio, qui et ipse codicum lectionem tueri studet et *ἀναπηλήσας γλ. ἐξετόρησεν* eodem modo dictum esse opinatur, quo apud Homerum: *ἀμπεπαλὼν προΐει ἔγχος*, Il. 3, 355. aut quo Od. 14, 425. *κόψε δ' ἀνασχόμενος σχίζῃ δρυός*, non magis placet; nam eadem fere, quae Matthiaeo, Ilgenio possunt opponi. Quare quum codicum lectio nullo modo ferri possit, ut corrigerent, alii alia tentarunt. Stephan. legi vult *ἀναπειρήνας* ex v. 48., Barnes. *ἀναπηδήσας* (alacriter resiliens), Ernestius *ἀναδινήσας* aut *ἀναφηλήσας* (deceptae vitam scalpro exterebravit), Bothius *ἀνά πη δήσας* i. e. *ἀναδήσας πη* (aliquo modo alligata testudine) vel potius *ἔνθα ῥάπι δήσας* (vimine illa ligata). Quarum ex numero coniecturarum nulla multorum assensu probata est neque unquam, opinor, probabitur. Hermanni coniecturam *ἀναπιλήσας*, constipans sc. *αἰῶνα*, novissimus hymnorum editor Baumeisterus*) in contextum recepit; sed et huius verbi nullam exemplum extat.

Novam iis, quas supra attulimus coniecturas, addamus, quae secundiore fortasse illis fortuna utitur. Coniicimus:

ἔνθ' ἄρα πηχύνας γλυφάνῳ πολιοῖο σιδήρου κτλ.

i. e. testudinis cubito inclinatae medullam spinalem exterebravit. Eiusmodi sententiam nostro loco convenire nemo non concedet, sed ut hanc scripturam confirmemus, ad eundem poetam cogimur confugere, quem supra ad v. 37., quia ad eum sensum, quem illo loco quaerebamus, restituendum Homerus et antiquiores epici poetae nobis praesto erant, sprevimus; Apollonium Rhodium dicimus, apud quem legitur 4, 972. *ἀργύρεον χαῖον παλάμῃ ἐνὶ πηχύνουσα*, quae verba scholiasta explicat: *τῷ πήχει τῆς χειρὸς προσηρτηκυῖα.*

Versu 52. *αὐτὰρ ἐπειδὴ τεῦξε φέρων ἐρατεινὸν ἄθυρμα.*

---

*) In editione minore. Maior Baumeisteri editio, quum haec scribebam, nondum in lucem prodierat.

vulgarem lectionem *φέρων*, quae hoc loco minus apta videtur, viri docti removere studuerunt, Matthiaeus scribendo *χερῶν*, Schneidewinus *χεροῖν*, Hermannus *τεῦξ' εὐρών*. Ego malim: *αὐτὰρ ἐπειδὴ τεῦξε φρενῶν ἐρατεινὸν ἄθυρμα.*

Quae scriptura si commodum sensum praebet, ob eam causam reiicienda non est, quod ultima syllaba verbi *τεῦξε* ante mutam cum liquida non producitur. Hoc enim versus loco, in tertio hexametri pede, apud Homerum reliquosque epicos prior dactyli syllaba brevis saepius legitur ante mutam c. liquida, ut Od. 1, 66. 149. 252.

Liceat afferre, quae de hac re in Homeri carminibus inveni.

In Iliadis libris 1—12. i. e. in versibus 7589 ante mutam c. liq. syllaba brevis est locis 131. In Odysseae libris 1—12. i. e. in versibus 6212 locis 154.

Longe plurimis igitur locis muta c. liq. antecedentem syllabam producit; quibus locis non producit, ibi saepissime eiusmodi verba leguntur, quae aliter in versum recipi non poterant, ut praecipue ea verba a mutis cum liquidis incipientia, quorum prima syllaba brevis, secunda longa est: *τράπεζα, τρίαινα, δράκων, προσηύδα, βροτῶν, βροτοῖσι, βροτούς*, alia; atque adeo ante litteras *σκ* et *ζ* in verbis *Σκάμανδρος, Σκαμάνδριος, σκέπαρνον, Ζέλεια, Ζάκυνθος* eadem ratione, quoniam aliter in hexametro locum habere non possunt, syllaba corripitur, vide Il. 2. 465. 467. 5, 49. 6, 402. 11, 499. 5, 36. 77. 774 etc. — Il. 2, 634. Od. 1. 246. 9, 24. — Il. 2, 824. 4, 103. 121. — Od. 5, 237. — Accedunt nonnulla verba quattuor syllabarum, quarum tertia brevis est et incipit a muta c. liquida, ut *ἀμφιδρυφής*, Il. 2, 700. *ἀμφιβρότης*, Il. 2, 389. et nomina propria, quale est *Ἀφροδίτη*, alia.

Raro autem fit, ut verba a muta c. liq. incipientia, quae etiam post syllabam longam in hexametro epico poni possunt, eum versus locum teneant, quo necesse sit antecedens syllaba corripiatur, ut *μέλι χλωρόν* Od. 10, 234. legitur in versus exitu, cum Il. 11, 630. dictum sit: *ἠδὲ μέλι χλωρόν.* Eiusmodi verba sunt: *Κρόνος, Κρόνου, Κρόνῳ, Θρόνος, Θρόνου, πρός, πρόσσω*, alia, hic illic sic posita, ut antecedentem syllabam non producant. Vide Il. 2, 205. 8, 479. 8, 199. 1, 609. 4, 329.

In universum igitur sic statuendum est, Homerum ante mutam c. liq. syllabam vulgo producere, neque tamen raro, necessitate coactum, ab hac lege discessisse et, quoniam in hexametro epico correptiones ante mutam c. liq. prorsus vitari non poterant, nonnullis quidem locis, quamquam versu aliter formando vitare potuit, iam assuetum quasi legem violare, eas admisisse.

Neque tamen promiscue in omnibus hexametri pedibus breves syllabae ante mutam c. liq. eadem frequentia inveniuntur. Longe plurimae eiusmodi correptiones sunt in pedibus tertio et quinto. Sic ex 131 correptionibus, quas supra ex Iliadis libris 1—12. attuli,

in tertio pede sunt	33	in secundo	13
in quinto	78	in quarto pede nulla.	
in primo	7		

Ex Odysseae correptionibus, quas supra attuli 154

in tertio pede sunt	61	in secundo	10
in quinto	68	in quarto	5.
in primo	10		

Hae autem, quae in quarto pede leguntur, omnes ex hoc numero removendae sunt. Nam Od. 11, 583. pro *προσέπλαζε* scribendum est *πρόσπλαζε*. Deinde Od. 1, 183. et 3, 303. verbum *ἀλλοθρόους* sic pronuntiabatur, ut tertia et quarta syllabae in unam

contraherentur; cf. *πρωτόπλοον* Od. 8, 35. Tum Od. 11, 266. in nomine proprio *Ἀμφιτρύωνος* littera *υ* syllabae tertiae, aeque atque Od. 4, 83. 127. 229. in voce *Αἰγυπτίους* littera *ι*, ita opprimitur, ut in vocabulo pronuntiando quattuor tantum syllabae audiantur. Restat Od. 12, 99. *φέρει δέ τε κρατὶ ἑκάστῳ*, quo loco non dubito quin vocula *τέ* delenda sit.

Quae si ita sunt, in quarto hexametri pede in Il. 1—12. et Od. 1—12. ante mutam c. liq. nusquam syllaba correpta invenitur.

Porro hoc animadvertendum est, fere omnibus locis brevem syllabam ante mutam c. liq. ita positam esse, ut dactyli sit secunda syllaba, non tertia. In locis 131, quos supra ex Iliade attuli, quinquies, in locis 154 Odysseae sexies est syllaba tertia: Il. 4, 339. *αὐτὰρ ὁ πλησίον*. 5, 31. et 909. *τειχεσιπλῆτα* in versu exeunte. 11, 69. *τὰ δὲ δράγματα*. 11, 572. *ἵεμενα πρόσσω*. Od. 3, 320. *ὅντινα πρῶτον*. 8, 92. *κατὰ κρᾶτα*. 10, 234. *μέλι χλωρόν*. 11, 583. *προσέπλαζε*. 12, 99. *δέ τε κρατί*. 12, 330. *καὶ δὴ ἄγρην*.

Ex his Od. 11, 583. et 12, 99. iam supra removimus, altero loco scribentes *πρόσπλαζε*, altero delentes voculam *τέ*. Deinde Od. 12, 330. synizesis adhibenda est. Od. 8, 92. fortasse scribendum *κὰκ κρᾶτα*, ut saepe *κὰκ κεφαλῆς*. Od. 3, 320. *ὅντινα πρῶτον* sine dubio falsum est; nusquam enim in carminibus Homericis ante vocem *πρῶτος* eiusque composita brevis syllaba invenitur praeter Od. 17, 275. *ἠὲ σὺ πρῶτος*, quod non dubitamus mutare in *ἢ σὺ πρῶτος*. Illo loco scribimus: *ὄντ' ἂν* vel *ὅν κεν πρῶτον ἀποσφήλωσιν ἄελλαι*. Sic in Odysseae libris 1—12. unicum restat *μέλι χλωρόν*. Ex quinque autem locis, quos ex Iliade attulimus, unus, 4, 329. rectius fortasse scribitur: *αὐτὰρ πλησίον ἑστήκει πολύμητις Ὀδυσσεύς*.

Easdem, quas Homerus, etiam auctores hymnorum Homericorum leges secuti sunt. Ex 60 correptionibus, quas in omnibus hymnis ante mutam c. liq. inveni, plurimae in quinto et in tertio pede leguntur. Locis 15 tertia dactyli syllaba ante mutam c. liq. posita est, sed plurimi ex his locis mutandi videntur. Examinemus singula.

H. in Ap. Pyth. 210. legitur:

καὶ τότε δὴ κατὰ θυμὸν ἐφράζετο Φοῖβος Ἀπόλλων.

quem locum, etsi non mediocriter offendit, mutare non audeo.

H. in Mercur. 294.

σὺν δ' ἄρα φρασσάμενος τότε δὴ κρατὺς Ἀργειφόντης.

scribendum est: *σὺν δ' ἂρ φρασσάμενος*. cf. Il. 1, 540. *θεῶν συμφράσσατο βουλάς*. Od. 15, 202.

Ibid. 332. *τόδε χρῆμα* fortasse scribendum est *τὸ χρῆμα*.

Ibid. 348. *διέτριβε κέλευθα* bene mutavit Schneidewinus in *ἔστειβε κέλευθα*.

Ibid. 394. idem pro *ἀπέκρυψε* restituit *ἔκρυψε*.

Ibid. 560. *μέλι χλωρόν* confirmatur versu Od. 10, 234.

H. in Vener. 131.

ἀλλά σε πρὸς Ζηνὸς γουνάζομαι ἠδὲ τοκήων.

et v. 187. *ἀλλά σε πρὸς Ζηνὸς γουνάζομαι αἰγιόχοιο.*

delenda est vocula *σέ*. Cf. Il. 22, 338. *λίσσομ' ὑπὲρ ψυχῆς καὶ γούνων σῶν τε τοκήων*. Od. 2, 68. 3, 98. 15, 261.

Ibid. 179. *οἵην δή με τὸ πρῶτον ἐν ὀφθαλμοῖσι νόησας.*

scribendum est aut: *οἵην δὴ τὸ πρῶτον*, aut: *οἵην δή με πρῶτον*. Vide, quae supra de voce *πρῶτος* diximus.

H. in Cerer. 256. codicis scripturam:

νήϊδες ἄνθρωποι καὶ ἀφράδμονες οὔτ' ἀγαθοῖο

editores recte mutarunt in: *νήϊδες ἄνθρωποι, ἀφράδμονες.*

Ibidem versus 344 et 345.

πόλλ' ἀεκαζομένη μητρὸς πόθῳ ἡ δ' ἐπ' ἀτλήτων
ἔργοις θεῶν μακάρων μητίσετο βουλῇ.

a viris doctis multum tentatos, Matthiaeus, quem Baumeisterum secutum esse video, bene restituit:

πόλλ' ἀεκαζομένη μητρὸς πόθῳ· ἡ δ' ἔτ' ἄτλητον
ὀργισθεῖσα θεῶν μακάρων μηνίετο βουλῇ.

praeter *ἡ δ' ἔτ' ἄτλητον.* Numerorum causa aut *ἔτι* eiiciendum est, ut restet: *ἡ δ' ἄτλητον,* vel *ἡ δ' ἀλίαστον,* vel Vossii *ἡ δ' ἄπλητον,* aut scribendum est: *ἡ δ' ἔτ' ἄλαστον.*

Ibid. versus 431.

Βῆ δὲ φέρων ὑπὸ γαῖαν ἐν ἅρμασι χρυσείοισι.

in carminis particula legitur, quam recentiore Graecorum tempore insertam esse infra docebimus.

Omnino igitur in quinque maioribus hymnis Homericis relinquuntur quattuor correptiones in tertia dactyli syllaba ante mutam c. liq.: H. in Ap. Pyth. 210. in Mercur. 332. et 560. in Cerer. 431., e quibus hic quartus locus recentioris aetatis est, reliqui praeter H. in Merc. 560. non satis certa esse scriptura videntur.

Quae restant in hymnis minoribus correptiones ante mutam c. liq. in tertia dactyli syllaba, numero sunt tres, quarum duae leguntur in H. in Martem recentissimae aetatis: v. 1. *βρισάρματε χρυσεοπήληξ.* et v. 12. *σεύασθαι κακότητα πικρὴν ἀπ' ἐμοῖο καρήνου.* Tertia est XXVI, 7. *αὐτὰρ ἐπειδὴ τόνδε (τόνγε?) θεαὶ πολύυμνον ἔθρεψαν.*

Ex his correptionibus duae, H. in Cerer. 431. et in Mart. 1., ante caesuram bucolicam sunt, in quarto igitur hexametri pede. Aliae correptiones ante m. c. l. in quarto hexametri pede in hymnis non inveniuntur, praeter H. in Mercur. 348. *διέτριβε κέλευθα,* si recta haec esset codicum scriptura; sed observatio illa fiduciam nobis hunc locum mutandi auget.

Versus 77 et 78. eiiciendos esse demonstravit Hermannus in Epistola ad Ilgenium p. 48 sqq. Versus autem 79.

σάνδαλα δ' αὐτίχ' ἔριψεν ἐπὶ ψαμάθοις ἁλίῃσιν.

quem una cum antecedentibus nonnulli removere voluerunt, si deesset, de qua re versus sequentes agerent, ab initio non satis perspiceretur. Quam ob causam retinemus; sed quum sic, ut in codicibus legitur, cum sequentibus coniungi non possit, ita mutandus esse videtur, ut protasis sit eorum, quae sequuntur, verborum. Idcirco Schneidewinus scripsit: *σάνδαλα δ' εὖτ' ἔῤῥιψεν,* qua in scriptura displicet vocula *δέ,* quia post verba *δολίης δ' οὐ λήθετο τέχνης,* universe indicantia ea, quae in sequentibus accuratius explicantur, requiritur asyndeton. Etiam *δὴ εὖτε,* si forte haec verba Schneidewinus in *δ' εὖτ'* inesse voluit, epicorum usus hoc loco respuit. Malim igitur scribere:

σάνδαλα κάλ' ὅτ' ἔριψεν ἐπὶ ψ. ἁλίῃσιν.

Ut hic *σάνδαλα καλά* posuimus, ita apud Homerum vulgo leguntur *καλὰ πέδιλα.* Il. 2, 44. 10, 22. 132. Od. 1, 96. 2, 4. 4, 309. 5, 44.

V. 86. *οἷά τ' ἐπειγόμενος δολιχὴν ὁδὸν αὐτοπρεπὴς ὥς.*

Sic plurimi codd.; Parisini tres et Mosc. pro *αὐτοπρεπὴς ὥς* praebent *αὐτοτορήσας.*

Versum corruptum VV. DD. diverso modo sanare student. Martin. *αὐτοπρεπὴς φώς*, Groddeck. *αὐτόμολος ὥς*, Schneidewin. *εὐτράπελος παῖς*, alii alia, parum probabilia. Hermannus in editione sua versum uncis includit, sed in annotationibus proponit *ἀντιτορήσων*, iter confecturus. Quam scripturam Frankius amplectitur, versum *οἷά τ' ἐπειγόμενος δολίην ὁδὸν ἀντιτορήσων* sic vertens: sic incessit Mercurius, ut qui festinat, quum furtivum iter confecturus est. Sed *ἀντιτορεῖν* esse iter conficere probari nequit. Nos scribendum putamus:

οἷά τ' ἐπειγόμενος δολίης ὁδὸν ἐντροπίῃσιν.

Confer v. 245. *παῖδ' ὀλίγον, δολίης εἰλυμένον ἐντροπίῃσιν.* Extremae vocis forma *ἐντροπίῃσιν* prope accedit ad Parisinorum et Moscov. lectionem *αὐτοτροπήσας*.

Versus 106. in codd. sic legitur:

καὶ τὰς μὲν συνέλασσεν ἐς αὔλιον ἀθρόας οὔσας.

Verba *ἀθρόας οὔσας* Hermannus in editione sua mutavit in *ἀθρό' ἰούσας*. Praeplacet, quod idem olim coniecerat: *ἐς αὔλιον ὑψιμέλαθρον*, epicorum poetarum more saepius repetitum, v. 103. 134. 199. At, quaeris, qui istud *ἀθρόας οὔσας* in contextum invadere potuit? Eundem puto interpolatorem, qui textui inseruit versum 211. et versus 77 et 78. ut boves faceret retrorsum actas (vide Hermann. Epist. ad Ilg. p. 48 — 56.), eodem consilio et hunc versum 106. sic mutasse:

καὶ τὰς μὲν συνέλασσεν ἐς αὔλιον ἀντί' ἰούσας.

Ex utraque deinde versus lectione, genuina et spuria, eam conflatam esse censemus, quae nunc in codd. legitur, ita ut in vocula *ἀθρόας* reliquiae vocis *ὑψιμέλαθρον* extent, *οὔσας* ex alterius lectionis vocula *ἰούσας* ortum sit.

Paulo post v. 109 et 110.

δάφνης ἀγλαὸν ὄζον ἑλὼν ἐπέλεψε σιδήρῳ
ἄρμενον ἐν παλάμῃ· ἄμπνυτο δὲ θερμὸς ἀϋτμή,

traditur, quomodo Mercurius artem ignis excitandi primus invenerit. Si *ἐπέλεψε* recte se habet, deest aliquid, quum non dictum sit, qua ratione hoc ramo lauri decorticato usus sit Mercurius ad ignem excitandum. Sin lacuna non statuenda est, corruptelam in *ἐπέλεψε* vel alio quodam versus 109. verbo inesse necesse est; sed quum, quae adhuc mutando versu 109. tentata sunt, aptum sensum restituere non videantur neque ipse melius quidquam habeam, quod proponam*), alteram rationem secutus Schneidewino adstipulor, unum vel plures iudicanti versus inter 109 et 110. excidisse, in quibus dictum fuerit, Mercurium lauri ramo decorticato alterum, quod praeparaverit, lignum trivisse. Quam sententiam et ob eam causam praefero, quod poeta huius hymni, quibus locis novam aliquam rem deus recens natus ingeniose excogitavit et sollerti animo exsequitur, accuratius ibi et copiosius hanc rem perscribere solet. Vide v. 41 sqq., locum de prima lyrae confectione agentem, et quae v. 115 sqq. sequuntur de deo boves mactante.

Gravi praeterea corruptela laborat versus 110. Flor. et Ald. praebent:

ἄρμενον ἐν παλάμῃ, ἀνὰ δ' ἄμπνυτο θερμὸς ἀϋτμή.

ex quo Ruhnkenius (Epist. crit. I. p. 33) inconsiderate fecit: *ἅμα δ' ἄμπνυτο θ. ἀϋτμή*;

---

*) Si mutando versu 109. locum sanare conaberis, fortasse ex Soph. Philoct. 294 sqq. *εἶτα πῦρ ἂν οὐ παρῆν, ἀλλ' ἐν πέτροισι πέτρον ἐκτρίβων, μόλις ἔφην' ἄφαντον φῶς*, sanatio erit petenda.

nam v. *ἀμπνυτο* mediam syllabam producit. Hanc fuisse causam opinamur, cur librarii, ut metrum restituerent, remota illa vocula *ἀνά* vel alia eius loco ante *ἄμπνυτο* posita, scriberent in plurimis codd. *ἄμπνυτο δὲ θερμὸς ἀϋτμή*. Vox *ἄμπνυτο* semper significat respiravit, animum collegit, id quod de igni recens ex ligno vel lapide excitato dici nequit. Itaque hanc vocem hic prorsus eiiciendam esse ratus, scribo:

τάχα δ᾽ ἔκσυτο θερμὸς ἀϋτμή.

Confer Quint. Smyrn. 2, 224. *πυρὸς δ᾽ ἐξέσσυτ᾽ ἀϋτμή.*

Versus 155—161. et 254—259. si diligentius inspexeris, alterum ex altero locum interpretandum et corrigendum esse intelliges. Assentimur Schneidewino, qui, commotus v. 256 sqq., versu 159. post *ἤ σε λαβόντα* nonnulla deesse opinatur; sensum enim orationis Maiae fuisse: Nunc sane puto Apollinem te validissimis vinculis constrictum per antri vestibulum ducturum (scilicet ante Jovis tribunal, ut in ius te rapiat) aut te comprehensum in Tartarum praecipitaturum. Hanc alteram sententiam post *ἤ σε λαβόντα* excidisse recte statuit; secutum deinde esse versum sic fere scriptum:

[καί σε] . . . τὰ μέτασσα κατ᾽ ἄγκεα φηλητεύσειν.

Quaeritur, quae sint illa *ἄγκεα*, in quibus Mercurium in futurum latrocinaturum esse Maia praedicit. Quum ex v. 256 sqq. obscuras Tartari regiones intelligendas esse pateat, ante *μεταξὺ* (?) *κατ᾽ ἄγκεα φιλητεύσειν* adiecticum, quo accuratius convalles illae designarentur, positum fuisse existimamus et versum sic restituere conamur:

ἠερόεντα μέταζε κατ᾽ ἄγκεα φιλητεύσειν.

Similitudo verborum *ἤ σε λαβόντα* et *ἠερόεντα* causa fuisse videtur, cur librarius in scribendo statim a verbis *ἤ σε λαβόντα* per errorem ad *μέταζε κατ᾽ ἄγκεα φ.* transiret. Totus autem locus comparanti mihi v. 256 sqq. et 374. sic fere scriptus fuisse videtur:

ἤ σε λαβόντα θεὸν ῥίψειν ἐς Τάρταρον εὐρὺν
εἰς ζόφον αἰνόμορον καὶ ἀμήχανον· ἔνθα σ᾽ ὀΐω
ἠερόεντα μέταζε κατ᾽ ἄγκεα φηλητεύσειν.

Versui 259. *ἀλλ᾽ ὑπὸ γαίῃ*
ἐῤῥήσεις, ὀλίγοισιν ἐν ἀνδράσιν ἡγεμονεύων.

VV. DD. diversa scriptura et interpretatione mederi studuerunt. Groddeckius scribit: *ἐῤῥεις, ὀλλυμένοισιν ἐν ἀνδράσιν ἡγεμονεύων*, ut *ἄνδρες ὀλλύμενοι* pro umbris dicti sint; Schopenius: *φθιμένοισιν ἐν ἀνδράσιν*; Ilgenius: *ἐῤῥήσεις, ἀλιτροῖσιν ἐν ἀνδράσιν ἡγ.*, „in maleficis dux erit Mercurius, h. e. primus inter eos erit, qui poenas luat“; Bothius: *ὀλοοῖσιν ἐν ἀ. ἡ.*, „ducem illum perditorum hominum fore ait, velut Tantali, Sisyphi et quicunque excruciantur apud inferos“. Hermannus: *δολίοισιν ἐν ἀ. ἡ.*; Schneidewinus: *ὀλοοῖσι μετ᾽ ἀ. ἡ.*, „unter den nichtsnutzigen Gaunern den Anführer spielend.“

Ex his Groddeckii et Schopenii scripturae sensum tribuunt huic loco minus aptum: dux eris mortuorum; in Ilgenii et Bothii, qui eundem fere sensum loco inesse statuunt, scripturis hoc reprehendimus, quod id hominum genus, quod designari volunt, non accurate notatur. Idem de Hermanni et Schneidewini lectionibus valet, sed quam Schneidewinus sententiam verbis suis inesse putat, ea magnam nostro loco probabilitatem habet. Verba enim, quae supra attulimus: „unter den nichtsnutzigen Gaunern den Anführer spielend“, nihil aliud significare dicit, quam: apud inferos easdem, quas in terris, partes agere perges. Eandem sententiam nos restituimus scribendo:

ἐῤῥήσεις, ζοφέροισιν ἐν ἄγκεσιν ἠπεροπεύων

quam lectionem facile accepturum spero, qui comparaverit versum supra a nobis restitutum (v. 159.): *ἔνθα σ' οΐω*

ἠερόεντα μέταζε κατ' ἄγκεα φιλητεύσειν.

ἠπεροπεύων iam Matthiaeus scripserat, sed verba *ὀλίγοισιν ἐν ἀνδράσιν* intacta reliquerat. Verbum illud legitur v. 577. *ἠπεροπεύει νύκτα δι' ὀρφναίην φῦλα θνητῶν ἀνθρώπων*, quo loco nostram scripturam non minus confirmari puto.

V. 168. *οὐδὲ θεοῖσιν*

νῶι μετ' ἀθανάτοισιν ἀδώρητοι καὶ ἄπαστοι

αὐτοῦ τῇδε μένοντες ἀνεξόμεθ', ὡς σὺ κελεύεις

Plurimi codd. praebent *ἄπαστοι*, lectionem perineptam, ut ait Hermannus; duo codd. Paris. *ἄπλιστοι*. Quae pro his vocibus a VV. DD. substituta sunt: *ἄπυστοι* (Hermann.), *ἄπλουτοι* (Both.), *ἄπληστοι* (Ruhnken.), *ἄλιστοι* (Schneidewin.), vel sensus vel numerorum causa reiicimus. De *ἄπλουτοι* et *ἄπληστοι* conf. quae supra ad v. 52. diximus; *ἄλιστοι* scribendum fuit *ἄλλιστοι*, ut *τρίλλιστος*, *πολύλλιστος*. Ipsi proponimus:

ἀδώρητοι καὶ ἄτιμοι,

et quia saepius sic *δῶρα* et *τιμαί* inter se coniunguntur (vide v. 470. *ἔπορεν δέ τοι ἀγλαὰ δῶρα καὶ τιμάς*. in Cerer. 328. *καὶ πολλὰ δίδον περικαλλέα δῶρα τιμάς θ'.*), et quia, quae in versibus proximis dicuntur, partim ad *δῶρα*, in quibus opulentia consistit, partim ad *τιμήν* pertinent. *δῶρα* animo Mercurii obversantur dicentis v. 170 sq. *Βέλτερον ἤματα πάντα μετ' ἀθανάτοις ὀαρίζειν, πλούσιον, ἀφνειὸν, πολυλήϊον* etc., transit deinde ad *τιμήν* his verbis: *ἀμφὶ δὲ τιμῆ*. Similiter v. 461. inter se coniunguntur: *ἦ μὲν ἐγώ σε κυδρὸν ἐν ἀθανάτοισι καὶ ὄλβιον — θήσω*.

V. 239. *ὡς Ἑρμῆς Ἑκάεργον ἰδὼν ἀλέεινεν ἑαυτόν.*

In hoc versu verba *ἀλέεινεν* et *ἑαυτόν* iuxta posita et inter se coniuncta esse nullo modo possunt, ut, si *ἑαυτόν* recte scriptum est, in verbo *ἀλέεινεν* aliquam corruptelam latere necesse sit, sin *ἀλέεινεν* recte se habet, *ἑαυτόν* sit removendum. Nam Hermanni (Epist. ad Ilg. p. 61.) de hoc loco iudicium nemo nunc sequetur. Qui quum ubique in hoc hymno duplicis recensionis vestigia avide indagaret, hoc loco versus 240—242. interpolatori attribuit, quae antecedunt, sic a primo hymni conditore composita esse opinatus est, ut *ἑαυτόν*, seiunctum a praecedentibus verbis, cum sententia, quae secuta esset, coniungeretur, in versu a librariis omisso sic fere scripta:

ὡς Ἑρμῆς Ἑκάεργον ἰδὼν ἀλέεινε, ἓ αὐτόν

εἰν ὀλίγῳ ἔλσας κεφαλήν χεῖράς τε πόδας τε.

Intra ipsius igitur versus 239. fines sententiam corrigere studebimus. Frankius *ἓ αὐτόν* integrum esse ratus, vocem *ἀλέεινε* addubitat, quum verbum requiri existimet, quod o c c u l t a n d i sive c e l a n d i notionem habeat; sed quae celandi notio requiritur, revera in voce *ἀλέεινε* inest. Est enim v i t a r e aliquem, s e s u b t r a h e r e e i u s a d s p e c t u i; Mercurius autem se subtrahere studuit Apollini, quem ob pecoris furtum iratum in specum matris ingressum conspexerat. Nam verba *ὡς Ἑρμῆς Ἑκάεργον ἰδὼν ἀλέεινεν* coniungi debere, iam Hermannus docuit, comparans Od. 4, 396. *μήπως με προϊδὼν ἠὲ προδαεὶς ἀλέηται*. Qua in sententia quum voci *ἑαυτόν* locus esse non possit, non poterimus, quin hanc vocem cum alia commutemus. Scriptum fuisse putamus ab initio:

ὡς Ἑρμῆς Ἑκάεργον ἰδὼν ἀλέεινεν ἄνακτα.

Vocem ἄνακτα hoc loco aptissime positam fuisse, facile quisque concedet, quum dignitatem et gravitatem Apollinis, magni dei, augeat, qui ingressus in specum (vide v. 234. αὐτὸς Ἀπόλλων) timorem iniecit Mercurio, ut se eius irae subtrahere studeret. Voculam ἑαυτὸν autem in hunc locum librarii diligentia invasisse putamus, qui quum exitum versus, id quod saepius in hoc hymno factum esse scimus, oblitteratum inveniret, suo Marte ad similitudinem linearum, quae restiterant, locum temere explevit.

V. 346 sq. Αὐτὸς δ᾽ οὗτος ὅδ᾽ ἐκτὸς ἀμήχανος. οὔτ᾽ ἄρα ποσσὶν
οὔτ᾽ ἄρα χερσὶν ἔβαινε διὰ ψαμαθώδεα χῶρον.

Verba ὅδ᾽ ἐκτὸς sine dubio corrupta. Ruhnkenius scripsit: αὐτὸς δ᾽ οὗτος ὅδ᾽ ἔξοχ᾽ ἀμήχανος; Ilgenius: αὐτὸς δ᾽, οἷος ὅδ᾽ ἔξοχ᾽ ἀμήχανος; Hermannus: αὐτὸς δ᾽ οὗτος ἄϊκτος (i. q. ἀπρόσιτος, Hesych.); Schneidewinus: αὐτὸς δ᾽ οὗτος ὄλεθρος. Omnia minus probabilia. Nobis scribendum videtur aut: αὐτὸς δ᾽ οὗτος ὀπηδὸς (vide v. 209.) aut: αὐτὸς δ᾽ οὗτος ὁδηγὸς ἀμήχανος, id quod verisimilius est et propius accedit ad codicum scripturam. Forma enim vocabuli ΟΔΗΓΟΣ paullulum differt ab ΟΔΕΚΤΟΣ. Iocosa quadam hilaritate deus dicit: Ipse autem hic desperatus est viarum atque itinerum dux, ita ut vestigia eius nemo possit sequi, neque enim pedibus neque manibus incessit.

V. 397 sqq. τὼ δ᾽ ἄμφω σπεύδοντε Διὸς περικαλλέα τέκνα
ἐς Πύλον ἠμαθόεντα ἐπ᾽ Ἀλφειοῦ πόρον ἷξον·
ἀγροὺς δ᾽ ἐξίκοντο καὶ αὔλιον ὑψιμέλαθρον,
ἧχι ῥά οἱ τ᾽ ἄγρευμ᾽ ἀτιτάλλετο νυκτὸς ἐν ὥρῃ.

Versus 398., ut supra legitur, ab Ilgenio et Hermanno ex codd. Paris. B. C. et Mosc. restitutus est; vulgo: ἐς Πύλον ἠμαθόεντα δ᾽ ἐπ᾽ Ἀλφειοῦ πόρον ἷξον. Hoc δ᾽ sine dubio, ut hiatus inter ἠμαθόεντα et ἐπ᾽ removeretur, aliquis interposuit. Et profecto hiatus ille ferri nequit, qui removetur, si scribis:

ἐς Πύλον ἠμαθόεντα καὶ Ἀλφειοῦ πόρον ἷξον.

Saepius sic loca, quorum alter alterius pars est, voce καί coniunguntur. H. in Ap. Pyth. 342. Od. 4, 563. — Ruhnkenii scriptura:

ἐς Πύλον ἠμαθόεντ᾽ ἰδ᾽ ἐπ᾽ Ἀλφειοῦ πόρον ἷξον

durior est. — Similiter v. 519. vocula ἐπί pro καί irrepsisse videtur; scriptum fuisse putamus: ἢ κεφαλῇ νεύσας ἢ καὶ Στυγὸς ὄμβριμον ὕδωρ.

Idem accidisse putamus v. 571. πᾶσι δ᾽ ἐπὶ προβάτοισιν ἀνάσσειν κύδιμον Ἑρμῆν. quem versum, sic scriptum:

πᾶσι δὲ καὶ προβάτοισιν ἀνάσσειν κύδιμον Ἑρμῆν.

post v. 568. ponimus, eiicientes v. 569. et 570. Hos enim ab interpolatore in margine adscriptos fortuito ante v. 571. in contextum venisse suspicamur.

Praeter Alpheum flumen in versu sequenti eadem loca nominari verisimile est, quorum iam ante, versibus 101—104., mentio facta est: αὔλιον ὑψιμέλαθρον et ληνούς. Αὔλιον ὑψιμέλαθρον utroque loco legitur, in voce ἀγρούς autem v. 399. vocem ληνούς latere suspicamur.

V. 416 sqq. Λητοῦς δ' ἐρικυδέος υἱὸν
ῥεῖα μάλ' ἐπρήϋνεν ἑκηβόλον, ὡς ἔθελ' αὐτός,
καὶ κρατερόν περ ἐόντα· λαβὼν δ' ἐπ' ἀριστερὰ χειρός
πλήκτρῳ ἐπειρήτιζε κατὰ μέρος· ἡ δ' ὑπὸ χειρὸς
σμερδαλέον κονάβησε· γέλασσε δὲ Φοῖβος Ἀπόλλων.

Editores inter v. 418 et 419. lacunae signa posuerunt, obiectum enim ad verba λαβὼν δ' ἐπ' ἀριστερὰ χειρός desideratur. Cf. v. 499—502. Aliter de nostro loco iudicat Schneidewinus. Extremam versus 418. vocem χειρός ex sequentis versus exitu per errorem librarii irrepsisse opinatus scripsit:

λαβὼν δ' ἐπ' ἀριστέρ' ἄθυρμα
πλήκτρῳ ἐπειρήτιζε κατὰ μέρος.

Similiter is, qui codicem Mosc. scripsit vel emendare conatus est: λαβὼν δ' ἐπ' ἀριστερὰ λύρην πλήκτρῳ ἐπειρήτιζε. Sed virum doctum fugit, primam vocis λύρη syllabam corripi neque omnino hac voce uti poetam huius hymni; nam alteram partem versus 423. cum sequentibus verbis usque ad τάχα δέ eiiciendam esse Schneidewinus docuit. Nos Schneidewini rationem comprobamus, sed quum vox ἄθυρμα in hoc hymno vulgo cum adiectivo coniungatur, praeplacet:

λαβὼν δ' ἐρατεινὸν ἄθυρμα
πλήκτρῳ ἐπειρήτιζε κτλ.

Confer v. 52—54. Verba ἐρατεινόν et ἐπ' ἀριστερά aliquam similitudinem habent, ita ut facile potuerint confundi.

V. 436. Βουφόνε, μηχανιῶτα, πονεύμενε, δαιτὸς ἑταῖρε.

Respiciens versum 31. χοροίτυπε δαιτὸς ἑταίρη, in voce πονεύμενε, sine dubio corrupta, adiectivum aliquod, quod ad artem musicam pertineat, latere suspicamur, praesertim quum paullo ante Mercurius eximiam suam artem ad chordarum sonum cantandi praestiterit et omnis haec Apollinis oratio circa citharam a Mercurio inventam et cithara canendi artem vertatur. Itaque ex πονεύμενε facio πολύμνιε, ut hic versus evadat:

Βουφόνε, μηχανιῶτα, πολύμνιε δαιτὸς ἑταῖρε.

Adiectivum quidem πολύμνιος alibi non legi, sed ex nomine proprio Πολύμνιος (Quint. Smyrn. 2, 292.) et nomine Musae Πολυμνίας, quae proprie adiectiva sunt vi, etiam adiectivum πολύμνιος extitisse colligere licet; neque mirum esset, si poeta, qui et alia verba ipse finxit, ut μηχανιῶτα in hoc ipso versu, primus hoc adiectivo usus esset.

V. 460 sqq. ναὶ μὰ τόδε κρανέϊνον ἀκόντιον, ἦ μὲν ἐγώ σε
κυδρὸν ἐν ἀθανάτοισι καὶ ὄλβιον ἡγεμονεύσω
δώσω τ' ἀγλαὰ δῶρα καὶ ἐς τέλος οὐκ ἀπατήσω.

Vox ἡγεμονεύσω hoc loco sensu caret. Casu aliquo ortum esse videtur ex extremis versus praecedentis verbis: ἦ μὲν ἐγώ σε, ita ut extrema pars versus 461. interiret. Quare Schneidewinus post v. 460. versum, cuius ultima vox fuisset θήσω, excidisse ratus, totius loci hanc fuisse conditionem censuit:

ναὶ μὰ τόδε κρανέϊνον ἀκόντιον, ἦ μὲν ἐγώ σε
. . . . θήσω
κυδρὸν ἐν ἀθανάτοισι καὶ ὄλβιον ἤματα πάντα,
δώσω τ' ἀγλαὰ δῶρα καὶ ἐς τέλος οὐκ ἀπατήσω.

V. *θήσω* commode accedit ad *κυδρὸν ἐν ἀθανάτοισι καὶ ὄλβιον*, neque minus *ἤματα πάντα* (cf. Od. 5, 135 sq. H. in Cerer. 261. in Apoll. Pyth. 307.); sed haec verba nostro loco sic posita fuisse existimamus:

καὶ μὰ τόδε κρανέϊνον ἀκόντιον, ἦ μὲν ἐγώ σε
κυδρὸν ἐν ἀθανάτοισι καὶ ὄλβιον ἤματα πάντα
θήσω . . . .
δώσω τ' ἀγλαὰ δῶρα καὶ ἐς τέλος οὐκ ἀπατήσω.

Similitas verborum *θήσω* et *δώσω* initio duorum versuum sese excipientium causa fuit, cur librarius in scribendo priorem versum transsiliret.

II. Hymnus in Cererem.

Auctor hymni Homerici in Cererem id praecipue sibi proposuit, ut originem sacrorum Eleusiniorum a Cerere institutorum enarraret. Quae res ita tractata est, ut ea pars, quae de summa re, de Cerere Eleusine commorante et sacra sua instituente agit, medium carminis locum a v. 98—304. teneat, praecedant eae res, quae Cereri causa fuerunt Eleusinem perveniendi ibique commorandi, raptus Proserpinae et migratio Cereris filiam cum luctu et moerore per totum orbem terrarum quaerentis; cuius ira et dolor inde a v. 305. Iovis opera permulcetur, qui Proserpinam ab inferis arcessendam et una cum matre in Olympum reducendam curavit. Habemus igitur fabulam rei inter deos actae unam et quasi rotundam, cui de institutione sacrorum Eleusiniorum narratio ita inserta est, ut prae ceteris haec res promineat et summam totius carminis et caput sese offerat audientibus. Atque hoc poetam ob eam causam sic instituisse existimamus, quod, quum eo consilio carmen compositum esse inter viros doctos constet, ut festo aliquo die, qui cum Cereris Eleusiniae cultu aliqua ratione cohaerebat, sive Eleusiniis ipsis, sive Panathenaeis recitaretur, multum eorum, qui diem festum celebrarent, interesse putavit de origine cultus Eleusiniae deae eiusque in homines beneficiis aliquid audire.

At quum fabula, quae in carmine tractatur, in universum sit una atque integra, carminis tamen ipsius conditio, si accuratius inspicias, ea est, ut neque idem orationis color neque eiusdem aetatis opiniones omnibus locis sese praebeant et res hic illic afferantur, quae cum ceteris non plane consentire videantur; ex quo suspicio oritur, carmen, quale nunc est, interpolationibus non paucis esse inquinatum. Maior carminis pars et argumento et dictione eam aetatem indicat, quae prope ad florentissima epicae poeseos tempora, ad Homeri Hesiodique aetatem accedit; eos autem locos, qui posterioris aetatis esse videntur, maximam partem non tam ex grammaticorum recentissimi Graecorum temporis umbraculis temere prodiisse, quam ab iis, sive sacerdotibus, sive aliis hominibus, interpositos esse cum Prellero*) V. Cl. censemus, qui carmen iterum ac saepius Eleusiniis vel Panathenaeis recitandum ad caeremonias in Eleusinia paullatim inductas et sui temporis de rebus divinis opiniones accommodare vellent. Quae si ita sunt, operae pretium esse duximus perquirere, qualis iis partibus, quae recentiore tempore irruerunt, semotis pristina carminis forma fuerit.

Accedimus primum ad versus 19—64.

Versus 21—37. tam multa continent, quae offendant, ut non mediocrem suspicionem interpolationis nobis moveant. G. Hermannus quidem (Epist. ad Ilg. p. 99.) patrocinium

*) Preller, Demeter und Persephone. p. 65 ff.

eorum suscipit et nexum optime restitui affirmat, si modo lacuna, quam inter v. 37. et 38. intercedere quisque videt, quum coniunctioni ὄφρα μέν in v. 33. altera coniunctio, ἦμος δέ vel αὐτὰρ ἐπεί vel simile quid, non respondeat, hac sententia expleatur: „Quum vero hiantem terram ingrederetur seque ad inferos deduci intelligeret, tum prorsus desperans multo quam ante clamavit vehementius: et resonuerunt montium cacumina et maris catervae: audiitque mater." At si rem, quae tractatur, in universum spectamus, nemo negabit sic extensam de puella clamante iterumque clariore voce clamante narrationem plus nimio languere, quum omissis illis versibus simplex rerum contextus efficiatur. Neque etiam vv. 33 sqq. cum vv. 16—20. congruere videntur. Nam ex vv. 16 sqq., per quas fauces, prope puellam flores legentem subito ortas, Pluto escenderat, per easdem eum cum rapta puella, qua fuit vehementia et quasi rapacitate animi, descendisse colliges; versibus autem 33 sqq., ni fallor, opinio subest, Proserpinam longius per tempus supra maiorem terrae partem vectam esse, quam ob rem H. Vossius (annott. ad H. H. in Cerer. p. 15) Ditem eam per ianuam Erebi, quae est prope Oceanum occidentalem, ad inferos tulisse existimavit. Praeterea et illud offensioni esse confitebere, quod priore loco (v. 21.) pater a Proserpina invocatur, altero (v. 35.) mater animo eius praecipue obversatur.

Sed priusquam de universo loco diiudicemus, singulas eius partes accuratius dispiciamus. In quibus prae ceteris tres versus, qui versui 33. praecedunt, 30—32. suspiciosi sunt et propter verbosam raptus commemorationem, qui si iterum hic commemorari debuit, paucis tantum verbis, non tribus versibus fuit complectendus, et quod verba ex aliis versibus temere conquisita sunt. Versus enim 30. conflatus est ex vv. 19. 20. et v. 9.; deinde v. 31. est collectus ex vv. 84. 85. et v. 17. Versus 32. idem est qui v. 18. Eiusmodi autem attributorum coacervatio, qualis in vv. 31. et 32. legitur, minus Homericae quam Orphicae poeseos propria est. — Non minus displicent, qui huic loco proxime praecedunt versus 27—29., in quibus causa affertur, cur Iupiter pater filiam clamantem et auxilium suum implorantem non audiverit. Cuius causae commemoratio prorsus inepta est, quum ex v. 3. et 9. Iovem filiam fratri rapiendam concessisse raptoremque adiuvisse satis appareat. Praeterea si causa omnino afferenda fuit, non hic ei sed post v. 21. iustus erat locus, qui versus postea v. 27. verbis paullulum tantum immutatis repetitur, ut annectatur, quod prius erat dicendum. — Iam si omnia, quae contra vv. 27—32. diximus, reputaveris, satis causae habebis, cur eos reiiciendos esse censeas; versus autem 33—37. si Prellerus antiquioris quidem aetatis esse, sed non in hunc locum convenire putat, ne illud quidem, antiquioris eos esse aetatis, viro clarissimo concedi posse existimo, quum nimia locus verbositate laboret et verba ἤλπετο et ἐλπίς (v. 35. 37.) minus apte inter se iuncta esse videantur.

Sed transeamus ad vv. 22—26., qui dicunt neminem, neque deum neque hominem, vocem clamitantis virginis audivisse praeter Hecaten et Solem. Qui locus cum v. 64 sqq., ubi Ceres Solem de rapta filia interrogat, non satis consentit. Hoc posteriore enim loco videndi sensus Solis imprimis praedicatur. „Filiam meam, inquit Ceres, cuius anxiam vocem per vacuum aëra audivi, verum oculis non vidi, tu, qui omnem terram totumque mare sacro ex aethere radiis despectas, dicas mihi — sicubi vidisti — quisnam deorum vel hominum absente me rapuerit." Cui deus respondet, Ditem Proserpinam, a Iove coniugem sibi concessam, curru suo ad inferos vexisse clara voce clamitantem. Ex quo apparet, Solem virginis raptae non vocem solum audivisse, sed, quid

factum sit, oculis conspexisse. Quare si poeta superiore loco Solem rerum gestarum testem inducere voluisset, non auditum solum dei eum commemoraturum fuisse puto.

Videamus nunc, quas partes Hecate agat, quae altera raptus Proserpinae testis fuisse dicitur. V. 24. Hecaten Proserpinae raptae vocem audivisse dicit; deinde quum Ceres audito filiae clamore per totum orbem terrarum eam quaerere incepisset, Hecate ei occurit et suadet, ut Solem, qui deus omnia videat et audiat, quis filiam rapuerit, interroget. Nullo verbo edito Ceres statim cum Hecate ad Solem vadit et postquam Ditem filiam a Iove patre matre insciente in matrimonium datam ad inferos rapuisse audivit, dolore atque ira in Iovem, qui matris iura neglexit, incitata, deorum concionem vitans inter homines in terris dea vagatur et Eleusinem pervenit. — In poematis quum persona aliqua inducitur, quid ea sibi velit, quaeritur, utrum conferat ad rem, quae geritur, promovendam et adiuvandam, an inutilis sit et supervacanea. Idem si in hac poematis parte de Hecate quaeritur, quo consilio inducta sit, vix dicere poteris. Ceres ipsa filiae vocem audivit neque eam raptam esse ignorat; quam ob rem alium quemquam eam de raptu filiae certiorem facere opus non est, Hecates autem verba v. 54—58. nihil aliud quam nuntium de Proserpinae raptu continent, et si porro suadet, ut Solem adeat de filia quaesitura, deum omnia cernentem et audientem*), eiusmodi consilium dat, in quod sua sponte Ceres facile potuit incidere. Deinde comitatur quidem Cererem ad Solem pergentem, sed, quo consilio comitetur, non videmus, neque postea ullo verbo eius mentio fit; tandem quum v. 90 sqq. ad eam respicimus, mirantes, ubi sit, abest, nec quisquam dicere potest, quando vel quo terrarum vel quo pacto abierit.

Hecates personam vides tam laxe et leviter fabulae nostrae agglutinatam esse, ut facile ea carere possimus. Contra, illa remota, multo narratio est simplicior et rerum naturae convenienter procedit, ita ut primum carminis auctorem de Hecate, cui antiquiore tempore cum Cerere et Proserpina nihil commune erat, nihil prorsus dixisse putemus, postea vero quam ab Orphicis, quos dicunt, haec dea cum deabus Eleusiniis consociata sit et in cultum Eleusinium introducta, etiam in carmen hoc, quod Eleusiniis vel alio solemni ad Eleusinia pertinenti recitabatur, a recentiore poeta eam insertam esse. Et duobus quidem locis interpolator Hecaten inseruit, v. 24 sqq. et 438—440., ut et *καθόδῳ* et *ἀνόδῳ* Proserpinae dea adesset.

Versus 438—440. ab Hermanno (Ep. ad Ilg. 108) et aliis iam reiecti sunt, quum ipso argumento interpolatorem maioris doctrinae et recentioris studiosum prodant et vocula *Κορη*, quam continent, recentioris sit aetatis; quibus causis et hanc addere licet, quod versus arctiore vinculo cum ceteris connexi non sunt et subito dea atque necopinato, pariter atque initio carminis, et accedit et discedit. Priore autem illo loco inde a v. 21. non solum vv. 21—37., id quod iam Matthiaeo et Prellero et aliis visum est, removendos esse censemus, sed omnes eos versus, qui ad Hecaten pertinent: 21—37. et 47—62. Quibus remotis, dea ista, quae recentiore Graecorum tempore ubique se tam insolenter offert, abacta est. Sed restat, ut singula in versibus, quos proscripturi sumus, accuratius inspiciamus et, quid habeant offensionis, examinemus.

Versus 47—50., qui etiam Prellero (p. 90.) suspicioni sunt, plura habent, cur abesse velis. Primum verba *πότνια Δηώ* iam Hermannus (Ep. p. 101.) suspecta se habere dixit

*) Probamus G. Hermanni supplementum post. v. 58. *σοὶ δ᾽ ὦκα λέγοι νημερτέα πάντα*
Ἠέλιος, ὃς πάντ᾽ ἐφορᾷ καὶ πάντ᾽ ἐπακούει.

et uncis inclusit: „Vereor enim, inquit, ne hoc nomen, quod nusquam usurpavit Homerus, aetati interpolatoris facilius, quam illius poetae, qui primus hunc hymnum condidit, adscribi debeat.“ Nomen Δηώ praeterea in hoc hymno reperimus v. 211. et 492., quorum uterque in recentioris originis parte carminis legitur.

In versibus antecedentibus 40 sqq. dolor et luctuosi errores Cereris filiam investigantis satis descripti sunt et apte absolvuntur versibus 44—46. Postquam filiam diu terra marique quaesitam nusquam invenit nec quisquam deorum vel hominum eam de Proserpina certiorem fecit neque etiam volucrum quaequam ei venit nuntia, tum ei tempus est Solem adeundi et interrogandi, qui deus totum orbem terrarum luminibus suis perlustrat; nihilo tamen secius, id quod miramur, deinde, hoc enim significat vocula ἔπειτα v. 47., rursus in terris vagari coepit novem per dies, dum Hecate ei occurrit, ut suadeat, quod ipsi ultro in mentem venire potuit. Faces autem, quas Ceres in manibus gestat (v. 48.), si ad investigandam virginem incensae sunt, ut Ovid. Met. 5, 441., iam antea vv. 40—46., in quibus de erroribus deae agitur, commemorandae erant. Sed accuratius nobis rem considerantibus taces istae parum idoneae videntur ad virginem investigandam. Minus sunt instrumenta, quam symbola investigandi, ex cultu Eleusinio sumpta; itaque cum Prellero a ratione et natura antiquioris epicae poeseos eas alienas habemus, digniores interpolatore, qui res pertinentes ad cultus Eleusinii caeremonias recentiores interponere studuit. Non minus, quod Ceres novem per dies edendo et bibendo et lavando abstinuisse dicitur, caeremonias denotare Prellerus docuit, quibus novem per dies mystae animos ad Eleusinia celebranda praeparabant. Quae autem Eleusiniorum caeremoniae hic afferuntur, eae nondum tempore primi huius hymni auctoris extitisse, sed Orphicae, quam dicunt, haereseos opera post illum ortae esse videntur. Addere possis, ut versus hos in suspicionem recentioris originis voces, verba οὐδὲ χρόα βάλλετο λουτροῖς in aliis epicis carminibus non inveniri. In sequentibus faces mysticae satis superque recurrunt, v. 52. et 61., qui congruit cum v. 48. Deinde adiectiva ὡρηφόρε, ἀγλαόδωρε, quae v. 54. leguntur, in carmine nostro solis versibus 192. et 493. reperis, qui loci speciem recentioris originis prae se ferunt. Etiam θεοὶ οὐράνιοι v. 55. Atticorum est, non Homeri et antiquiorum epicorum; Homerus enim dicit θεοὶ ἐπουράνιοι. Vide H. Voss. ad h. l. Hecates oratio magnam partem ficta esse videtur secundum Cereris, quae sequitur, orationem, praecipue v. 68 sqq.

Si, quae adhuc disputavimus, vera sunt, versus 62. et 63. ea forma, qua nunc leguntur, a primo carminis auctore profecta esse non possunt. Sic fortasse scripti fuerunt:

Ἠέλιον δ' ἀφίκανε, θεῶν σκοπὸν ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν,
στῆ δ' ἵππων προπάροιθε καὶ εἴρετο δῖα θεάων.

Hunc ad modum in secundo versu, quae sit δῖα θεάων, manifestum est, quum, ut vulgo versus legitur, verbis δῖα θεάων non satis accurate designetur, utra dea intelligenda sit, Ceres an Hecate. Melius praeterea versus procedit, si verbis στῆ et εἴρετο idem subiectum subest, ut H. in Ap. Pyth. 68. et 200.

His omnibus reputatis, primo hymni auctori ex vv. 1—63. ceteris remotis hos tribuimus versus: 1—20. 38—46. et 62. et 63. ea, quam supra exhibuimus, forma.

Inde a v. 105. de Celei, regis Eleusinii, filiabus agitur, quae in Cererem prope Eleusinem ad Parthenium puteum assidentem inciderunt. Enumerantur v. 108—110. quibus versibus repugnat Pausaniae testimonium 1, 38, 3. τὰ δὲ ἱερὰ τοῖν θεοῖν Εὔμολπος

καὶ αἱ θυγατέρες δρῶσιν αἱ Κελεοῦ. καλοῦσι δὲ σφᾶς Πάμφως τε κατὰ ταυτὰ καὶ Ὅμηρος Διογένειαν καὶ Παμμερόπην καὶ τρίτην Σαισάραν. Pausaniae auctoritatem, tres, non quattuor Celei filias in hymno Homerico nominari dicentis, confirmant ipsius huius hymni versus 285—288. Una sororum hoc loco Demophontem humi iacentem sustulit, altera ignem accendebat, tertia ad matrem properavit ex thalamo ducendam. Quam ob rem Hermanno assentimur, qui tres istos versus, nomina filiarum Celei continentes, sic conformatos esse putat ab interpolatore, „qui quum sequeretur alius narrationis fidem, pro nominibus, quae ab Homero scripta videbat, haec posuit, quae nunc leguntur. Et fortasse servavit partem aliquam verborum, quibus Homerus usus fuerat, quem credas ita scripsisse:

τρεῖς, ὥσεί τε θεαί, κουρήιον ἄνθος ἔχουσαι,

tum posuisse nomina, eorumque uni addidisse haec: *ἣ τῶν προγενεστάτη ἦεν ἁπασέων.*“ Hanc Hermanni coniecturam in universum secuti, si hariolari licet in rebus incertis, locum a primo carminis auctore sic fere scriptum fuisse opinamur:

Τρεῖς, ὥσεί τε θεαί, κουρήιον ἄνθος ἔχουσαι,
Σαισάρη καὶ Παμμερόπη καὶ Διογένεια·
οὐδ' ἔγνων· χαλεποὶ δὲ θεοὶ θνητοῖσιν ὁρᾶσθαι.
ἀγχοῦ δ' ἱσταμένη ἔπεα πτερόεντα προσηύδα
Παμμερόπη, Κελεοῖο θυγατρῶν εἶδος ἀρίστη.

Vel ultimo versu *Σαισάρη* pro *Παμμερόπη*. Sic ut nunc versus in hymno leguntur, quae v. 113 sqq. sequuntur verba, ut ab omnibus puellis dicta proferuntur. Quod quum ab epica ratione abhorreat, verba ita immutata veteri poetae tribuimus, ut una Pammerope vel Saesara pro omnibus verba faciat. Locum ab initio sic institutum fuisse, probari nobis videtur verbis *ὣς ἔφαθ'*, quae v. 118. in codice leguntur, sed, ut congruerent cum antecedentibus, ab editoribus in *ὣς ἔφαν* mutata sunt. — Voci *Παμμερόπη* non addidimus relativam sententiam *ἣ τῶν προγενεστάτη ἦεν ἁπασέων*, quia poetam de tribus solum puellis voce *ἁπασέων* vix usurum fuisse credimus, sed ex v. 146. apposuimus *Κελεοῖο θυγατρῶν εἶδος ἀρίστη*. Quae verba quum post *Καλλιθόη θ'* metro respuerentur neque post v. 105. *τὴν δὲ ἴδον Κελεοῖο Ἐλευσινίδαο θύγατρες* versu 110. repetenda esse viderentur interpolatori, scripsit:

Καλλιθόη θ', ἣ τῶν προγενεστάτη ἦεν ἁπασέων,

imitatus, puto, versum Hesiodeum, Theog. 79.

Καλλιόπη, ἣ δὲ προφερεστάτη ἐστὶν ἁπασέων.

Pariter atque hoc loco v. 146. Pammerope vel Saesara a Callidice loco suo pulsa est. — Nominis *Σαισάρα*, quod ductum videtur a verbo *σαίρω*, media syllaba longa usi sumus, Vossius in annott. ad v. 474—478. utitur brevi: Hermannum a nostris partibus stare ex verbis intelligimus, quae scripsit Ep. ad Ilg. p. 105. „Itaque etiam v. 146. *Καλλιδίκη* pro Saesara vel Pammerope ab interpolatore posita videtur.“ Si brevis sit illa syllaba, uno versu, ut nos supra statuimus, tria sororum nomina contineri non potuerunt, sed epithetis adiunctis duos versus impleverunt.

Ceterum interpolatorem, qui hunc locum immutavit, non post Pausaniae demum tempora fuisse existimamus, sed iam multo ante Pausaniam nova filiarum Celei nomina, ex genealogiis, quae ab Eleusiniorum gentibus fictae circumferebantur, sumpta, in hymnum interpolata esse possunt, ita ut diversae huius loci formae apud veteres extarent, pristina

autem forma, qualem Homericus poeta composuit, iuxta illas diu servaretur. Codex Mosc. unam ex spuriis tradidit. Minus probabiliter Frankius versus, quales nunc leguntur, a librariis factos esse opinatur, qui quum carmen ex corrupto et paene exeso codice describerent, ea, quae temporis edacitate interiissent, suo Marte restituere conarentur.

De vv. 188—211. assentimur Prellero, qui eos non a primo carminis auctore, sed a recentioris aetatis interpolatore profectos esse censet, quum et oratio, diversa a versibus et antecedentibus et sequentibus epica simplicitate conspicuis et vigoris Homerici plenis, languide procedat et res afferantur, partim quae cum eis, quae et in antecedentibus et in sequentibus proferuntur, parum congruant, partim quae eo consilio insertae, ut caeremoniarum quarundam cultus Eleusinii originem traderent, narrationis progressum non adiuvent sed impediant. De singulis vide ipsum accuratius disserentem in libro de Cerere et Proserpina p. 92 sqq. Sed quaeritur, quomodo, antequam haec pars interposita sit, priora cum sequentibus cohaeserint. V. 187 sq. verba *αι δὲ παρ' αὐτὴν ἔδραμον· ἡ δ' ἄρ ἐπ' οὐδὸν ἔβη ποσί* antiquioris poetae sunt, sed sententiam *καί ῥα μελάϑρου κῦρε κάρη, πλῆσεν δέ – ϑείοιο* etiam Prellerum interpolatori attribuere, quamquam inde a v. 190. interpolationem incipere dixit, ex ipsius verbis apparet. Deinde v. 212. *τῇσι δὲ μύϑων ἦρχεν ἐΰζωνος Μετάνειρα* sine dubio a primo carminis poeta profectus est; qui versus si non extitisset, interpolator certe eum non fecisset, quia verbis, quae paullo ante posuit, repugnat. Nam *μύϑων ἦρχεν* et, quod sequitur *χαῖρε*, dici non potuit, postquam in versibus proxime antecedentibus Metanira cum dea haec illa iam collocuta est. Eo melius autem v. 212. cum sequentibus verbis Metanirae deam salutantis et consolantis excipit versum 188.

ἔδραμον· ἡ δ' ἄρ' ἐπ' οὐδὸν ἔβη ποσί –
τῇσι δὲ μύϑων ἦρχεν ἐΰζωνος Μετάνειρα·
χαῖρε κτλ.

Ut versus 188. expleatur, possis addere, quae leguntur v. 211. *πολυπότνια Δηώ*:

ἔδραμον ἡ δ' ἄρ' ἐπ' οὐδὸν ἔβη πολυπότνια Δηώ.

sed quum et nomen *Δηώ* et vocem *πολυπότνια* cum Hermanno, qui hanc apud antiquiorem Apollonio scriptorem vix inveniri dicit, antiquiori poetae adscribere dubitemus, versum hoc supplemento explemus: *ἔδραμον ἡ δ' ἄρ' ἐπ' οὐδὸν ἔβη ποσὶ δῖα ϑεάων.*
δῖα ϑεάων de Cerere in exitu versus legitur v. 63. 250. 483. — *πότνα ϑεάων* v. 118.

Sic versibus spuriis eiectis, qui restant versus optime inter se videntur cohaerere:

αἶψα δὲ δώμαϑ' ἵκοντο Διοτρεφέος Κελεοῖο,
βὰν δὲ δι' αἰϑούσης, ἔνϑα σφίσι πότνια μήτηρ
ἧστο παρὰ σταϑμὸν τέγεος πύκα ποιητοῖο,
παῖδ' ὑπὸ κόλπῳ ἔχουσα, νέον ϑάλος· αἱ δὲ παρ' αὐτὴν
ἔδραμον ἡ δ' ἄρ' ἐπ' οὐδὸν ἔβη ποσὶ δῖα ϑεάων.
τῇσι δὲ μύϑων ἦρχεν ἐΰζωνος Μετάνειρα.

Examinemus vv. 259—269.

De versibus 265—267. viri docti non mediocriter dissentiunt. Ilgenius, cui Bothius assentitur, totum hunc locum ex nota marginali expressum esse opinatur („quae traditionem servaret, Demophontis aetate bellum civile inter Eleusinios exarsisse"). Vossius locum, ut

in codice traditur, tuetur, sic interpretatus: „Auch jener nachbleibenden Ehre, sagt die Göttin, wird er wenig Genuss haben; denn seine künftige Regierung wird durch beständige Bürgerkriege beunruhigt sein." Hermannus, quem omnes, ni fallor, recentiores sequuntur, post v. 267. lacunae signum posuit; sed quid exciderit, de ea re inter eos dissensio est. Deinde pro codicis scriptura τῷγε recentiores Fonteinii coniecturam τοῦγε receperunt (Ilgenius, Hermannus, Frankius, Baumeisterus); pro ἐν ἀλλήλοισι Baumeisterus, Matthiaeum secutus, scribit Ἀθηναίοισι. Si quid inter v. 264. et 268. ab initio interpositum fuit, sententiarum ordo efflagitat, ut honoris illius sempiterni, quem Ceres Demophonti constituerat, ibi pluribus verbis mentio facta sit. Quae quum in vv. 265—267., si de bello civili Eleusiniorum agunt, frustra quaeratur, in iis versibus, qui post v. 267. excidisse putantur, expressius traditum fuisse necesse est, qui Demophonti honor obtigisset vel qua ratione sibi illam gloriae immortalitatem in bello Eleusiniorum hic memorato peperisset. Sic Frankium statuisse videmus, recte Hermanni sententiam, in lacuna de Demophontis morte actum fuisse, reiicientem. „Videntur in illo bello, inquit Frankius, Demophontis honorificae quaedam partes fuisse, unde sibi illam gloriae immortalitatem peperit; de quibus hic exposuit poeta." Sed vellem ostendisset, quae illae partes esse potuissent in bello civili, quod perpetuo, per totam Demophontis vitam, ex quo maturam aetatem attigit, Eleusinii inter se gessisse dicuntur. Eiusmodi partes quum haud facile inveniri possint, vel quod huius belli civilis Eleusiniorum nulla apud alios mentio extat, Baumeisterum scripsisse suspicamur Ἀθηναίοισι pro ἐν ἀλλήλοισι, ut de bello ageretur Eleusiniorum cum Atheniensibus gesto, in quo Demophon patriam defendens magnam sibi gloriam collegisset. Bellum, quod Athenienses et Eleusinii ducibus Erechtheo et Eumolpo antiquitus inter se gesserunt, satis notum est, sed de rebus a Demophonte in bello Atheniensium et Eleusiniorum gestis nihil traditum habemus, neque etiam in carmine, quod die solemni ab Atheniensibus et Eleusiniis una acto recitabatur, eiusmodi belli mentionem fieri aptum fuit.

Versus 263 et 264. accuratius nobis perpendentibus non alia causa perpetui Demophontis honoris quaerenda esse videtur, quam quae indicatur verbis: οὕνεκα γούνων ἡμετέρων ἐπέβη καὶ ἐν ἀγκοίνῃσιν ἴαυσεν; quia Cereris deae genubus Demophon exceptus est et in eius ulnis dormivit, satis hoc fuit causae, cur perpetuus eum et vivum et mortuum apud Eleusinios honor et immortalis gloria sequeretur. Deinde de bello etiam longum per tempus ducto vel saepius iterato non apte dici putamus: αἰὲν ἤματα πάντα πόλεμον συνάξουσι, i. e. bellum incipient, committent, concitabunt. Postremo ὧραι, quam vocem omnes, qui τοῦγε scribunt pro τῷγε, de matura Demophontis aetate accipiunt, hoc significatu apud antiquiores quidem epicos poetas non invenitur. Has ob causas quum neque cum Frankio neque cum Baumeistero stare possimus, aliam loci interpretationem quaerimus, retinentes codicis scripturas τῷγε et ἐν ἀλλήλοισι. Ut iam supra diximus, si quid inter vv. 264 et 268. admittendum est, de nulla alia re quam de honore perpetuo Demophonti a Cerere tributo ibi expositum esse potuit; itaque vocem τῷγε interpretandum esse putamus: in eius honorem. Ὧραι autem ex usu vetustiorum epicorum sunt tempora certo quodam ordine redeuntia, ita ut v. 265. interpretemur: Huius in honorem certis volventium annorum temporibus. Quae reliqua sunt verba, contineant necesse est id, quod Eleusinii in Demophontis honorem certis quibusdam diebus omnium futurorum temporum facient. Quare πόλεμον καὶ φ. αἰνὴν ἐν ἀλλήλοισι συνάξουσι, non de bello civili Eleusiniorum, sed de ludo quodam sacro, qui

pugnantium speciem praebebat, ab Eleusiniis quotannis solemni aliquo die in Demophontis honorem edito dictum esse censemus. Eiusmodi ludus fuisse videtur *Βαλλητύς* Eleusiniorum, de qua Hesychius v. *Βαλλητύς, ἑορτὴ Ἀθήνησιν, ἐπὶ Δημοφῶντι τῷ Κελεοῦ ἀγομένη.* et Athen. IX. p. 406. D. *τίς δ' αὕτη ἡ λιθίνη Βαλλητύς; Ἐλευσῖνι γὰρ τῇ ἐμῇ οἶδά τινα πανήγυριν ἀγομένην καὶ καλουμένην Βαλλητύν.* Vide Preller. p. 109. Totum igitur locum sic reddimus: Certis volventium annorum temporibus in huius honorem filii Eleusiniorum per omne futurum tempus bellum et diram pugnam inter se concitabunt. Hac ratione si versus interpretamur, neque ad lacunae coniecturam confugere cogimur, neque sententiarum ordo incommode interrumpitur. Neque tamen hoc poetae vitio dandum esse negamus, quod tam breviter atque obscure locutus est neque ludum illum sacrum propriis verbis accurate significavit. Sed caveamus hoc poetae, qui ab initio hymnum condidit, crimini demus; hos enim tres versus illo poeta minus dignos non dubitamus, quin idem interpolator, quem aliis iam locis maioris doctrinae studiosum deprehendimus, eo consilio interposuerit, ut demonstraret, qua ratione ludus ille, quo Eleusinii Demophontem celebrabant, ortus esset. Quod eum satis incommode fecisse apertum est. Nec sane quisquam negabit, eiectis illis versibus, reliqua optime inter se cohaerere; verba enim *εἰμὶ δὲ Δημήτηρ* etc. sic ad v. 263 et 264., quorum causam continent, prope accedunt.

Versus 365—369. Prellerus a recentiore quodam poeta interpolatos esse recte iudicavit. Nimia enim hunc locum laborare verbositate, vetere poeta indigna, et verba continere non epicorum poetarum sed Atticorum propria; praeterea versum 370 sq. *γήθησεν δὲ π. Περσεφόνεια, καρπαλίμως δ' ἀνόρουσ' ὑπὸ χάρματος*, a nuntio illo versuum 300—364. *Ἔρχεο, Περσεφόνη, παρὰ μητέρα κυανόπεπλον* etc., quo tanta laetitia Proserpina affecta est, iusto longius removeri neque convenire tristibus illis minitationibus, quae continentur vv. 367—369. Verba Atticorum propria sunt *δεσπόζειν, ἀδικεῖν, εὐαγέως, θυσία*, quam voculam neque apud Homerum neque apud alium quemquam poetam epicum inveni. Pro *θυσίῃσι* Baumeisterum praebere video *θυσίαισι*, formam epicis prorsus inusitatam (vide, quae dixi ad Antimachi fr. 43.); quam si sumpsit ex cod. Mosc. a Schneidewino diligentissima cura recens collato, et haec, nisi forte librarii inscitia irrepsit, recentioris Attici poetae interpolationem manifestare videtur.*) Accedit, quod vv. 367—369. ex eiusmodi praeceptis fluxisse videntur, quae recentiore aetate in mysteriis tradi solebant. Vide Vossii annott. ad h. l. Auget interpolationis suspicionem exitus versus 364. Cod. Mosc. praebet *ἐνθάδ' ἰοῦσα*, quod Ruhnkenius mutavit in *ἔνθα δ' ἐοῦσα*, ita ut versus 363—365. nunc vulgo legantur:

οὔ τοι ἐν ἀθανάτοισιν ἀεικὴς ἔσσομ' ἀκοίτης,
αὐτοκασίγνητος πατρὸς Διός· ἔνθα δ' ἐοῦσα
δεσπόσσεις πάντων κτλ.

Sed *ἔνθα* pro *ἐνθάδε* apud epicos poetas non memini me legere, sicut *ἐνθάδε* non ponitur pro *ἔνθα*; si autem *ἐνθάδ'* scribitur, asyndeton offensioni est. Itaque deletis sequentibus versibus Prellerus recte nobis priorem versus formam sic restituisse videtur:

αὐτοκασίγνητος πατρὸς Διὸς ἐνθάδ' ἐοῦσῃ.

---

*) Quamquam pro *θυσίῃσι* facile *θυέεσσι*, vox epica, interponi potest, hoc loco tamen retinemus *θυσίῃσι*; sed v. 312., quum recentioris originis suspicionem non moveat, Atticam vocem *θυσιῶν* removere et vocem epicam *θυέων* reponere non dubitamus.

V. 393 sqq. Ceres ex filia sibi reddita quaerit, num quid apud inferos gustaverit; si nihil, inquit, gustavisti, apud me et Iovem patrem semper deges, sin cibum in Orco cepisti, tertiam illic anni partem habitabis, reliquas duas partes apud me eris et ceteros deos. Huic quaestioni alteram adiungit: καὶ τίνι σ' ἐξαπάτησε δόλῳ κρατερὸς Πολυδέγμων; tam subito et abrupte, ut lacunam plurimi editores ante eam statuerint. Respondet Proserpina ad priorem interrogationem versibus 406—413., ad alteram vv. 414—432.; narrat in prioribus versibus, a Dite se ad matrem ex Orco redituram coactam esse granum mali punici gustare, in sequentibus, qua ratione Dis se rapuerit, persequitur. Rerum igitur ordinem poeta invertit, quum, quae prius tempore gestae sunt res, secundo loco tradat; sed quam artem in hac inversione et in utriusque narrationis coniunctione Prellerus (p. 83.) vidit, eam nos frustra quaerimus. Nam sine ullo arctiore vinculo altera ad alteram adiuncta est his verbis: ὡς δέ μ' ἀναρπάξας etc. (414—416.); artificiosa autem inversio in iis antum rebus locum habet, quarum ea est natura, ut interiore quodam nexu cohaereant. Sed gustationi illi mali et raptui Proserpinae nihil est commune, quo contineantur. Deinde si cum venusta narratione de raptu Proserpinae, quae legitur initio carminis, hanc comparas, nihil haec est nisi frigida illius repetitio et in angustum coacta, cui longa comitum Proserpinae enarratio inserta est. Praeter hanc virginum enarrationem nihil novi hunc posteriorem locum continere intelliges, si accuratius versus inspexeris.

Primi tres versus 414—416. narrationem praeparant, pluribus sane verbis, quam opus est tam brevi narrationi; sequitur v. 417—424. longus virginum ordo, quae cum Proserpina flores legebant, et longior hic et amplior, quam in carmine tam angustis finibus circumscripto par est. Restant versus octo (425—432.), in quibus ipsa res, quae quaeritur a Cerere, quo dolo rapta sit Proserpina, narratur. Hos igitur versus conferas, quaeso, cum iis, qui initio carminis eandem rem tradunt.

1. Cum vv. 425—427. confer v. 5—7.
2. Versus 428. conferatur cum v. 8—14.
3. v. 429. cum v. 15 et 16.
4. v. 429 et 430. cum v. 16—18.
5. v. 431 et 432. cum v. 19 et 20.

Hos utriusque loci versus componentes id certe persuasum habemus, posteriorem locum non solum decurtatum et in angustum coactum prioris summarium esse, sed etiam eas ipsas res omittere et diluere, quae prae ceteris erant urgendae. Summa enim res, quae erat premenda, dolus erat ille, quo decepta Proserpina rapta est, ita ut praecipue commemorandum esset, Tellurem Iove auctore in gratiam Ditis narcissum procreasse, cuius magnitudine et eximia pulchritudine et suavissimo odore Proserpina a ceteris virginibus remota et in eum locum deducta est, quo facilius a Plutone rapi posset. Harum rerum, quas ea cum diligentia, qua dignae erant, poeta priore loco exsecutus est, nulla hoc posteriore loco mentio fit, vel tam leviter tactae sunt, ut vix animadvertas, quamquam Ceres v. 404. expresse eas ex filia quaesivit. Sic, ut unum tantum proferamus, mirabilis illa narciss pulchritudo una voce ὑπείροχος*) significatur, sed quae v. 10 et 11. de narcisso dicta sunt, ad ceteros flores, quos praedicari non multum interest, verbis θαῦμα ἰδέσθαι sunt translata.

Ad ea, quae in vv. 414—432. reprehendimus, accedit, quod causam non videmus, cur hoc loco narratio de Proserpinae raptu repetita sit. Res enim in poemate repeti solent

*) Sic cum Prellero scribe v. 428. pro ὥσπερ κρόκον.

vel ad inceptas res promovendas, vel ut fundamentum ponatur, quo ea, quae postea tractanda sunt, nitantur; sed tantum abest, ut de raptu Proserpinae narratio hoc loco res inceptas adiuvet, ut interrumpat etiam et impediat. In extrema enim hac parte hymni de sorte potissimum agitur, quae Proserpinae, postquam ad matrem reducta est, in reliquum tempus constituatur. Proserpina si nihil apud Ditem gustasset, perpetuo apud matrem et superos deos manere ei liceret. Quam ob causam inde a v. 393. Ceres tanta cum sollicitudine hanc rem quaerit. Sed quum gustaverit illa, ut ipsa matri percunctanti narrat v. 406—413., Iupiter v. 441 sqq. constituit, ut tertiam cuiusque anni partem apud Ditem coniugem in Orco commoretur, duas reliquas apud matrem. Qua in sententia Iovis, omnium rerum divinarum et humanarum moderatoris, acquiescens Ceres, reconciliata cum Iove ceterisque deis, in Olympum una cum filia revertitur. Ab hoc argumento extremae carminis partis quum Proserpinae raptus, sine iusta causa repetitus et temere interpositus, plane sit alienus, ita ut nulla omnino utriusque rei coniunctio appareat et intempestive animi legentium ad initium carminis revocentur, versus 414—432., in quibus praeterea non pauca minus apta supra deprehendimus, quum ea, quae nullius sunt momenti, verbose tractata sint, omissa et depressa sint ea, quae commemorari plurimum interest, ut ab interpolatore profectos eiicere non dubitamus.

His versibus remotis, etiam interrogatio illa v. 404. praeposita:

καὶ τίνι σ' ἐξαπάτησε δόλῳ κρατερὸς Πολυδέγμων;

quae quum nullo cum antecedentibus vinculo cohaereat, viris doctis offensioni fuit, excidat necesse est.

Iam quum ex iis, quae Ceres et Proserpina inter se collocutae sunt, id unum, quod ad mali gustationem pertinet, narratum sit, etiam versus 434—437. stare vix possunt, quibus eo facilius caremus, quod nimia sunt verbositate neque tanta cum negligentia antiquiorem poetam vocem *θυμόν* in tribus deinceps versibus repetiturum fuisse putamus: *ὁμόφρονα θυμὸν ἔχουσαι — θυμὸν ἴαινον — ἀχέων δ' ἀπεπαύετο θυμός.* Itaque quum etiam vv. 438—440. iam prius a viris doctis iustas ob causas eiecti sint (vide, quae supra ad v. 21 sqq. diximus), ex omnibus versibus, qui inter v. 413. et 441. positi erant, unum tantum versum 433. retineri posse censemus, ita ut inde a v. 403. versus sic se excepisse videantur: 403. 405—413. [433?] 441.

Quos eieci versus, omnes ab eodem interpolatore interpositos esse puto, qui fecit de Hecate versus 438—440. Qui quum statim versu 386. vel paullo post Hecaten suam introduci non posse arbitraretur, ut post dearum colloquium locum ei pararet, sermones continuavit atque ita instituit, ut triste illud, quod in colloquio de fatali mali gustatione inesset, commemoratione rerum praeteritarum, in qua laetius semper aliquid est, mitigaretur et Hecate accedere posset et sermonibus dearum sibi amicarum interesse.

Priusquam hunc locum relinquamus, Oceaninarum, quas cum Proserpina flores legisse interpolator dixit v. 417 sqq., recensum agamus. Omnes fere, quae producuntur virgines, conscriptae sunt ex Hesiodi catalogo Oceaninarum Theog. v. 349—361., ita ut etiamnunc possit perspici, quemadmodum hymni Homerici enumeratio ab Hesiodeo loco pendeat. Primus versus Hesiodi est:

Πειθώ τ' Ἀδμήτη τε Ἰάνθη τ' Ἠλέκτρη τε.

primus versus hymni (418.):

Λευκίππη Φαινώ τε καὶ Ἠλέκτρη καὶ Ἰάνθη.

Extremus et hymni et Hesiodei catalogi versus incipit verbis *καὶ Στύξ*. Ex utriusque poetae primorum versuum comparatione intelliges, interpolatorem hymni Homerici versum Hesiodi ita secutum esse, ut nominum mutuationem occultare studeret. Duo enim nomina retinuit: *Ἠλέκτρην* et *Ἰάνθην*, in vicem nominum *Πειθοῦς* et *Ἀδμήτης* sumpsit *Φαινώ* et *Λευκίππην*, et ita transposuit nomina, ut primo obtutu imitationem versus Hesiodei vix agnoscas. Eadem ratio est sequentis versus hymni 419.

καὶ Μελίτη Ἰάχη τε Ῥόδειά τε Καλλιρόη τε.

quem dubitamus cum Hermanno (Epist. p. 109.) reiicere, etsi Pausanias 4, 30, 3., versus 418 et 420. citans, hunc versum omisit. Factus hic est ad exemplum Hesiodei versus 351.

Ἱππώ τε Κλυμένη τε Ῥόδειά τε Καλλιρόη τε.

Exitus utriusque versus idem est, sed Hesiodi *Ἱππώ* sprevit interpolator, quia in versu antecedenti *Λευκίππη* iam posita erat; itaque ex Iliade 18, 42. arcessivit versus initium *καὶ Μελίτη καὶ Ἴαιρα*, non curans, hoc Homeri loco Nereidum, non Oceaninarum catalogum exhiberi. Sed quum paullo post v. 421. *Ἰάνειραν* adducturus esset, pro voce *Ἴαιρα* consonam posuit *Ἰάχην*, qua, puto, interpretaretur nomen Hesiodeum *Κλυμένη*. Apud veteres enim fuisse, qui voci *Κλυμένη* eiusmodi notionem inesse crederent, apparet ex Schol. ad Hesiod. Theog. 351. *Κλυμένη διὰ τὸν ἀποτελούμενον ἦχον ἐκ τῶν ὑδάτων.*

Versus hymni 420.

Μηλοβότη τε Τύχη τε καὶ Ὠκυρόη καλυκῶπις.

conflatus esse videtur ex duobus vv. Hesiodi 354. et 360.

Μηλόβοσίς τε Θόη τε καὶ εὐειδὴς Πολυδώρη,
Εὐδώρη τε Τύχη τε καὶ Ἀμφιρὼ Ὠκυρόη τε.

Hesiodi Melobosin interpolator consulto mutavit in Meloboten et pro voce *Θόη* interposuit vocem eiusdem quantitatis *Τύχη*, coniunctam cum v. *Ὠκυρόη*, quae una cum illa legitur in v. Hesiodeo 360. et eadem, qua *Θόη* eiecta, est significatione.

In versu hymni 421. producuntur:

Χρυσηίς τ' Ἰάνειρα τ' Ἀκάστη τ' Ἀδμήτη τε.

in Hesiodi v. 356.

Περσηίς τ' Ἰάνειρα τ' Ἀκάστη τε Ξάνθη τε.

Chryseis in hymno locum tenet Perseidos et pro Xanthe posita est *Ἀδμήτη*, quae in primo versu a Leucippa suo loco depulsa est. Haec tria autem nomina *Ξάνθη*, *Λευκίππη*, *Ἀδμήτη*, quippe quae ab equi attributionibus ducta sint, cognatione quasi inter se continentur.

Hymni versus 422. sic scriptus est:

καὶ Ῥοδόπη Πλουτώ τε καὶ ἱμερόεσσα Καλυψώ.

Hesiodi versus 359.

Χρυσηίς τ' Ἀσίη τε καὶ ἱμερόεσσα Καλυψώ.

Secundum utriusque versus hemistichium idem est. In locum Chryseidis, quae iam in antecedenti versu producta est, Pluto interpolator substituit, nomen illi cognatum; pro Asia, quae quamquam proprie nihil aliud quam Limosa est (vide Schoemanni Opusc. Acad. II. p. 151.), hic tamen nomine suo terram Asiam denotare videtur, posuit Rhodopen, nympham montis Thraciae. In Thracia interpolator, Hecates, cuius patrocinium suscepit, patria, Nysium campum (v. 17.) prope Samothracen et antrum Zerynthium (v. 25.) collocasse et ob eam causam Rhodopen, Thraciae nympham, quae alias neque in Oceaninarum neque in Nereidum numero invenitur, in societatem comitum Proserpinae assumpsisse videtur. —

Extremo versu 423. interpolator ingeniose composuit Stygem et Uraniam et Galaxauram, quibus nominibus Orci et coeli et aëris terrae proximi regiones denotantur; nam *Γαλαξαύρη*, „Lactaura", ut Schoemanni (l. l. p. 149.) interpretatione utar, est, quae auras lactat i. e. nutrit. — Qui sequitur versus 424. de Minerva et Diana Proserpinae comitibus recte a Matthiaeo et Hermanno spurius indicatus est. Vide Frankium ad h. l. Preller. p. 82. not. 11.

Ex iis, quae diximus, licet colligere, auctorem catalogi Oceaninarum Homerici Hesiodi catalogum ante oculos habuisse, sed nomina commutando et transponendo operam dedisse, ne, quantopere ab exemplo suo penderet, animadverteretur.

Exitus hymni inde a v. 470. adeo interpolatus est, ut haec pauca tantum genuina esse videantur:

v. 470 — 473. *Ὣς ἔφατ᾽ οὐδ᾽ ἀπίθησεν ἐϋστέφανος Δημήτηρ·*
αἶψα δὲ καρπὸν ἀνῆκεν ἀρουράων ἐριβώλων.
πᾶσα δὲ φύλλοισίν τε καὶ ἄνθεσιν εὐρεῖα χθὼν
ἔβρισ᾽.

et v. 484 — 489. *βὰν δ᾽ ἴμεν Οὔλυμπόνδε θεῶν μεθ᾽ ὁμήγυριν ἄλλων.*
ἔνθα δὲ ναιετάουσι παραὶ Διὶ τερπικεραύνῳ
σεμναί τ᾽ αἰδοῖαί τε· μέγ᾽ ὄλβιος, ὅν τιν᾽ ἐκεῖναι
προφρονέως φίλωνται ἐπιχθονίων ἀνθρώπων.
αἶψα δέ οἱ πέμπουσιν ἐφέστιον ἐς μέγα δῶμα
Πλοῦτον, ὃς ἀνθρώποις ἄφενος θνητοῖσι δίδωσιν.

De versibus 473—482. vide Prellerum p. 102 sqq., etiam v. 273 et 274. hanc carminis partem praeparantes eiicientem, et Hermanni Epist. ad Ilg. p. 110. De versibus 490—495. eundem Hermannum p. 112.

Priores versus 470—473. cum 484—489., si recte coniicio, sic fere coniuncti erant:

ἔβρισ᾽· ἡ δὲ θεά, καλλιστέφανος Δημήτηρ,
αὐτὴ καὶ θυγάτηρ, περικαλλὴς Περσεφόνεια,
βὰν δ᾽ ἴμεν Οὔλυμπόνδε θεῶν μεθ᾽ ὁμήγυριν ἄλλων.

Eiectis vel mutatis, quas indicavimus, partibus, restituitur carmen, quale ab initio conditum fuisse putamus, in quo non solum omnes partes sic inter se coniunctae sunt, ut optime sese excipiant et nihil inutile sit et supervacaneum, sed etiam orationis color et de rebus sacris sententiae antiquiorem produnt epicae poeseos aetatem.

Bericht über das Schuljahr 1860–61.

I. Lehrverfassung.

A. Lehrercollegium.

Im Laufe des Sommersemesters wurde der Herr Stadtpfarrer und Schulinspector Dörr unter Ernennung zum Herzoglichen Decane als erster Pfarrer nach Usingen gnädigst versetzt, und der von ihm seit dem Jahr 1846 an dem Gymnasium ertheilte evangelische Religionsunterricht seinem Nachfolger im Pfarramte, dem Herrn Pfarrer Ohly, übertragen.

Außer den beiden Religionslehrern, Herrn Pfarrer Ohly für die evangelischen Schüler der sechs oberen Klassen, Herrn Pfarrer Roll für sämmtliche katholische Schüler, besteht demnach das Lehrercollegium dermalen aus:

1) Director Dr. Schmitt, Ordinarius in I.
2) Professor Krebs, Ordinarius in II.
3) Professor Schenck.
4) Professor Francke, Ordinarius in IV.
5) Professor Schulz, Ordinarius in V.
6) Professor Stoll, Ordinarius in III.
7) Conrector Becker.
8) Conrector Wagner, Ordinarius in VII.
9) Collaborator Brandscheid, Ordinarius in VI.
10) Hilfslehrer Sauer.
11) Zeichenlehrer Durst.
12) Tanz- und Turnlehrer Liebich.
13) Reitlehrer Stroh, zugleich für das Gymnasium zu Hadamar.

Durch die Gnade Seiner Hoheit des Herzogs ist die Remuneration für die beiden Religionslehrer vom 1 Januar l. J. an erheblich erhöht worden, und haben einige Gymnasiallehrer Besoldungszulagen erhalten.

Von literarischen Arbeiten aus dem Lehrercollegium sind zu erwähnen:

1) Vom Director: Narratio de Friderico Taubmanno adolescente, epistolis ejus illustrata. Edit. altera 1861 (Teubner).
2) Vom Professor R. Krebs und Professor Francke: Anleitung zum Lateinischschreiben ꝛc. von J. Ph. Krebs. 11. verbesserte und vermehrte Auflage. Frankfurt a. M 1860 (Brönner).
3) Vom Professor Schenck: a) Die Bienen des Herzogthums Nassau. Wiesbaden 1861 (Jul. Riedner). Besonderer Abdruck aus den Jahrbüchern des Vereins für Naturkunde im Herzogthum Nassau. Heft 14. Ebendaselbst S. 1—404 b) Die deutschen Gattungsnamen der Bienen c) Die Honigbiene vom Hymettus, beide in demselben Hefte der Jahrbücher ꝛc. S. 415 ff.
4) Vom Professor Stoll: Handbuch der Religion und Mythologie der Griechen und Römer. 4. Auflage. Leipzig 1860 (Teubner). — Auch ist eine Bearbeitung von dessen Anthologie griechischer Lyriker Band I. in holländischer Sprache erschienen.

B. Unterricht.

1) Allgemeines.

Bei der Feststellung des Lehr- und Stundenplans für das Schuljahr 1860—61 sind einige für den Erfolg des Unterrichts wesentliche Aenderungen eingetreten. — Die deutsche, lateinische und von der vierten Klasse an auch die griechische Sprache wurden von Septima bis

zur Tertia einschließlich, so weit es andere in Betracht kommende Verhältnisse zuließen, in die Hand Eines Lehrers gelegt. Der Professor Francke, der eine Reihe von Jahren Ordinarius der Tertia gewesen war, erklärte sich bereit, das Ordinariat der Quarta zu übernehmen und dem Professor Stoll, seitherigen Ordinarius der Quarta, die Tertia zu überlassen, wodurch es möglich wird, daß jeder der beiden genannten Lehrer dieselben Schüler zwei Jahreskurse hindurch als Ordinarius unterrichten und leiten kann. Mit dem neuen Schuljahre wird der Professor Francke mit den Schülern der Quarta in die Tertia vorrücken und der Professor Stoll wieder in die Quarta als Ordinarius eintreten.

Der Director übernahm fünf Stunden in der Secunda, deutsche Sprache und lat. Dichter, sowohl um die Vereinigung der vorgenannten Gegenstände in der Hand Eines Lehrers für die fünf unteren Klassen zu ermöglichen, als auch um die der Prima zunächst stehenden Schüler vorläufig näher kennen zu lernen. Indem ich dieser zur Förderung des Unterrichts getroffenen Anordnungen gedenke, halte ich mich für verpflichtet, auch an die Eltern, die dem Gymnasium ihre Söhne zusenden wollen, ein wohlgemeintes Wort zu richten. Es kommt hier nicht selten vor, daß Schüler, die blos durch Privatunterricht vorgebildet sind, sich zur Aufnahme in eine höhere Klasse, Tertia oder gar Secunda, melden. Sie werden auch mit Rücksicht auf ihre in den Sprachen erlangten Kenntnisse, sowie nach ihrem Alter und der in der Prüfung dargelegten allgemeinen geistigen Reife in eine der bezeichneten Klassen aufgenommen, allein bald zeigen sich in allen übrigen Gegenständen erhebliche Lücken und die natürliche Folge ist, daß die strebsamen und gut befähigten sich übermäßig anstrengen, das Versäumte nachzuholen, die weniger eifrigen und schwachen aber bald alle Hoffnung je beizukommen, aufgeben und die beregten Unterrichtsgegenstände vernachlässigen. Nur wenige arbeiten sich ohne Nachtheil für ihre Gesundheit allmählich bei. Möchten doch die Eltern Privatanstalten und einzelnen Privatlehrern nicht allzu großes Vertrauen schenken und sich wenigstens, wenn sie ihre Söhne nicht früher dem Gymnasium anvertrauen können oder wollen, rechtzeitig mit dem Gymnasium in Beziehung setzen, um die Forderungen für die einzelnen Lehrgegenstände zu erfahren.

